# SPICILEGIUM

## CASUUM NONNULLORUM CHIRURGICORUM QUI IN CLINICO CHIRURGICO BONNENSI NOVISSIMIS ANNIS OBSERVATI SUNT.

DISSERTATIO INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE BORUSSICA RHENANA

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE

RITE CAPESSENDO

CONSCRIPSIT ATQUE

DIE XX. M. IULII HORA CONSUETA

CUM CONTROVERSIIS

PUBLICE DEFENDET

**IOHANNES EDUARDUS WEBER**

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

B. BRANDIS, MED. ET CHIR. DD.

FR. STRAHL, MED. ET CHIR. DR. PRACT.

I. SCHAEFFER, MED. ET CH. DR. PRACT. MED. PRIM. CL. CHIR. BONN.

**BONNAE,**

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMME VENERANDO

# CAR. GUIL. WUTZER,

MEDIC. ET CHIRURG. DOCTORI,

REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., INSTITUTI CLINICI CHIRURGICO-OPHTHALMIATRICI NEC NON STUDII CHIRURGICI ET PHARM. IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA DIRECTORI, ACADEMIAE MED. PARISIENSIS, SOCIETATIS MED. BEROLIN., HALENS., ERLANGENS., MOGUNT. ET MONAST. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

HASCE PAGELLAS

**UT SUMMAE VENERATIONIS AC PIETATIS SIGNUM**

D. D. D.

AUCTOR.

PROFESSORI MERITISSIMO

# CAROLO GUILELMO WUTZER

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

## S. D.

A U C T O R.

Dissertationem meam inauguralem, consuetudine et ex praecepto conscribendam, quum Tibi, vir summopere colende, prae ceteris dedicare voluerim, id ea maxime factum est ratione, quod Tu potissimum lubenter mihi et officiose potestatem concessisti, insignissimos illos quos hisce in pagellis contuli casus chirurgicos ut accuratius observaverim, gravissimamque Tuam operationum quas postremo tempore peregisti experientiam omnium usui patefaciam. Considerata vero virium mearum exiguitate, nequaquam ignoravi, quantis obstructum sit difficultatibus et quam modice in litteris medicis iuvenis medicus futurus par sit conscribendo opusculo Tui nominis digno. Itaque eo tantum consilia eam pertinere potuerunt, ut, quamquam Tua praeceptoris praestantissimi ars atque eruditio neque hac mea commentatione divulgari neque celebrari possint, neque ullo modo laudes alienas exiguumque meum praeconium

desiderent, mihi tamen hocce libello testari liceat, quanta Tua sint de litteris inque discipulos merita, et quantas ego Tibi debeam gratias. Etenim quum ob Tuam voluntatem officiosam tum ob maximam humanitatem et benevolentiam qua per annum continuum muneris in clinico chirurgico adiutoris secundarii sustinendi dignum me iudicasti, quin etiam gravissimas operationes mea ipsius manu perficiendi facultatem dedisti, gratia Tibi omni tempore est habenda quantam maximus animus capere potest.

Hunc igitur qualemcunque libellum, tanquam pietatis meae et reverentiae perparvum documentum benevole suscipias atque in posterum etiam favori Tui me commendatum habeas rogo petoque.

Scripsi Bonnae die 8. m. Iulii 1849.

# I.

## Pseudarthrosis cruris post fracturam tibiae et fibulae.

*Anamnesis.* — Matthias Sebastiani, Mertesdorfii prope Treviros natus est parentibus omnino sanis. Exceptis rubeolis, nullis unquam morbis infantilibus laboravisse et ad hoc tempus bona semper valetudine gavisus esse dicitur. Pater enarrat, inde a partu per sex hebdomades fere diu noctuque puerum curae obstetricis traditum alte clamavisse; postquam autem parentes curam pueruli suscepissent, mox invenisse eos, crus dextrum non moveri posse et accuratiori disquisitione instituta apparuisse ossa esse fracta. A medico arcessito ligamina imposita et per longum temporis spatium adhibita esse. Decimo quinto aetatis mense puerum ingredi coepisse, parentes illico tamen observasse extremas illorum ossium partes ductu obliquo inter se consanuisse. Quam ob rem auxilium petiissent a medico quodam Trevirensi; qui quum crus accuratius examinavisset et fortem compluries pressum adhibuisset, infantem altum clamorem edidisse et per totum inde diem non esse tranquillatum. Ex illo temporis momento puerum non amplius potuisse ingredi. Alium medicum tandem fracturam per quatuor hebdomades emplastro adhaesivo ligavisse, nullam tamen coniunctionem solidiorem exortam, ideoque ferulas chartae densatae per longius tempus appositas esse. Quod tamen quum eventu careret, pater auxilium nosocomii nostri chirurgici invocavit; hic receptus est puer die XIV. mens. Iunii 1848.

*Conditio praesens.* — Matthias Sebastiani, puer quatuor annorum robustus, praeter vitium cruris dextri vale-

tudine prorsus bona gaudet, omnibus carens scrophuloseos symptomatis. Crus aegroti dextrum media sua parte fractum est, verisimiliter inter partum. Quatuor digitis transversis supra malleolos utriusque ossis fracti partes tactu mobiles sentiuntnr, quarum altera supra alteram ita est diducta, ut pars superior et tibiae et fibulae retrorsum, inferior antrorsum promineat. Crus hoc loco in quamlibet directionem flecti, atque aegrotus nonnullos etiam motus ipse perficere potest. Superficiem extremorum ossis utriusque fracti fragmentorum alteram super alteram nonnihil promoveri licet et utraque detrita videtur, quum nulla sentiatur asperitas. Pseudarthrosis hoc loco igitur adest. Crus vitiosum praeterea aliquanto gracilius sinistro et brevius; aegrotus nonnullos passus, magna tamen cum difficultate procedere potest, postea tamen collabitur. — Coenaesthesis aegroti bona, appetitio ciborum normalis; cavum pectoris et abdominis nihil praebent abnorme.

*Cura.* — Primo crus brevius, ut eius longitudo normalis restitueretur, per quatuor fere hebdomades continuas ope machinae extensoriae extendebatur, qua re contigit quidem, ut crus fractum ad longitudinem fere sani cruris sensim prolongaretur, et extremae fragmentorum partes apte ex adverso ponerentur; cruris tamen longitudo rursus imminuebatur, simulatque extensio remittebatur. Extensione continua, simulque apparatu leniter comprimente frustra fere adhibito, operatio resectionis die septimo decimo mensis Iulii anni 1848 ab Ill. Wutzer instituebatur.

*Actus primus operationis.* — Incisione semilunari, cuius convexa facies ad genu spectat, articulus artificialis denudatur, et textus fibrosus fractas ossium partes coniungens solvitur; quod tamen quum haud ex voto contigerit deficiente spatio sufficiente, in angulo plagae interiore incisio nova perpendicularis circiter $^{5}/_{4}''$ longa sursum ducitur.

*Actus secundus.* — Fragmenti inferioris pars extrema, nunc a partibus mollibus satis libera, acuminata forfice rese-

catur, superioris vero fragmenti extremitas conica cultro falcato scarificatur, qua in re tamen evitari non potest, quin arteriae nonnullae collisae sanguinem emittant. Spongia illata sanguinis profluvium sedat.

*Actus tertius.* — Periosteo soluto extremitas superior terebra peculiari perforatur et filum aureum perducitur bono cum successu; multo tamen difficilius extremitate inferiore perforata filum aureum a parte interiore ad exteriorem partem duci potest. Specillo tenui et sulcato demum inducto a parte exteriore ad interiorem partem, filum aureum satis commode educitur et deinde contorquetur.

Vulnere, quantum fieri potest, emplastri adhaesivi ope clauso et duabus ferulis utrique cruris lateri appositis, membrum inferius totum in canalem e charta densata factum imponitur et fasciculis stabilitur. Febris traumatica in primis post operationem diebus praeter exspectationem non ita fortis erat; emplastro adhaesivo quatuor diebus post sublato incisionis vulnera omnino iam consanuerunt, excepto eo angulo, unde filum aureum prominebat. — Puer qui semper alacris erat animi, ludere et cantare solebat, itaque magnopere patris labores sublevabat qui, ne membri quies ullo tempore turbari posset, nunquam filium deserebat. Pus quotidie semel, nonnunquam bis, caute exprimebatur, atque hac re sola opus erat, quum calli collectio nullis rebus adversis accedentibus impediretur. — Die XXIV. m. Augusti id actum est, ut filum aureum removeretur, quod sane gravius erat momentum, quum experientia monstraverit, id paene non minus esse violentum, quam operationem ipsam; a Cl. Dr. H. Schaeffer, me assistente, peractum est. Difficillimum fuit dignoscere, quonam tempore filum torquendo circumvolutum profundius latens, qui locus inspici non poterat, retortum esset, ne in altera directione denuo circumvolveretur: quae tamen difficultas satis feliciter expedita est; altera fili extremitas proxime ad tibiam forcipe decerpta, ac denique altera fili extremitas arrepta et hoc modo filum totum protractum est. Nulla fere

violentae huius operationis reactio, et continua data quiete aegroti membro (methodo illa, quam supra descripsimus), extremitates ossium fractae magis magisque et firmius consolidatae sunt. Vulnere externo perfecte sanato, puer aegrotus quum ipse membrum elevare posset, manus simul superimpositae ne ullum quidem motum partium, quae antea fractae erant, observarent, omnino sanatum esse demonstratum est. Die XXV. m. Sept. igitur dimissus est; provide tamen ligaminibus glutine farinaceo oblitis totum adhuc membrum involutum est, ne itineris motus damnum quoddam afferre possent. — Mense Iulio 1849 nuntius a patre missus, puerum membri usu plenario gaudere affirmavit, quod vix 1/4″ brevius illo oppositi lateris sit.

Casus noster, qui Ill. Wutzer methodum adhibendi filum tortum e metallo, quod rubigine non corripitur, tam praeclare comprobavit, maxime dignus est, qui rarioribus illis casibus adnumeretur, ubi pseudarthroseos sanatio est effecta, et novum praebet testimonium utilissimae huius in illo morbo operandi methodi. Qui vero casus tanto magis consideratione dignus est, quum aegrotus puer fuerit quadriennis, et pseudarthrosis ipsa crus occupavisset, cuius ambo ossa essent fracta. Quod enim ad aetatem attinet, in dubium nullum vocari potest, quin non tantum propter violentiam operationis, verum etiam ad curam tam diuturnam constantissime perficiendam aetas infantilis non faustam praebeat prognosin. Quum tamen minime ea nostra esse queat ratio, ut autores, quicunque de hoc argumento scripserunt, accuratius enumeremus eorumque methodos Ill. Wutzer methodo opponamus, ideoque huius praestantiam comparatione demonstremus, quum hac de re satis diligenter disputatum sit a Dr. Geller*), qui prior eidem muneri assistentis in clinico chirurgico secundarii praefuit, his verbis finem imponimus.

*) De resectione pseudarthroseos e femoris fractura ortae, Diss. inaug. Bonnae 1847.

## II.

## Pseudoplasma fibrosum et lipomatosum.

Eva Berends, Uerdingensis, parentibus sanis nata, semper se bona valetudine per aetatem infantilem gavisam esse affirmat. Sexto aetatis anno a rubeolis correpta est, normali modo decurrentibus neque ullos efficientibus morbos proxime sequentes. Quamquam satis robusta adolescebat, menses solito tempore non intrabant, peculiares tamen molestiae inde non procreabantur. Vicesimo demum anno catamenia apparuerunt, ab initio rara et irregularia, brevi tamen post satis copiosa et expedita. Opus facere solebat rusticum. Mense Martio anni 1848, aliis nonnullis phaenomenis morbosis apparentibus, tumor faciei in regione masseterica dextra exortus est, qui remediis simplicibus adhibitis nondum desinebat. Hic admodum celeriter crescebat, eumque praesertim postremis hebdomadibus terrendo modo auctum fuisse aegrota observavit. Mense Maio menstruatio ultima vice apparuerat, rarior quam antea; exinde omnino cessabat. Die 15. m. Octobris 1848 curam adiit Policlinici chirurgici Bonnensis.

*Conditio praesens.* Aegrota 25 annos nata, statura satis procera et robusta, temperamento phlegmatico est, capillis fuscis, oculis subcoeruleis, faciei colore pallido. In dextra faciei parte tumor amplus conspicitur, sursum usque ad lineam semicircularem ossis temporum, retrorsum proxime ad meatum auditorium externum, deorsum ad marginem inferiorem maxillae inferioris se extendens, introrsum nasum versus paullatim declivis. Cutis tumorem valde prominentem tegens universe quidem normalis, media sua parte locum monstrabat magnitudine thaleri borussici admodum rubefactum. Qui locus, quamquam reliqua tumoris pars dura, elastica et fixa, ubique aequalis sentiebatur, mollis erat et facilius digitum impressum recipiebat. Nullum aegrota in tumore percipiebat dolorem, tantummodo sensum pressionis, ut videtur,

tumoris pondere effectum, accusabat. Temperatura tumoris non adaucta. Infra maxillam inferiorem glandulae aliquot tumefactae et durae, magnetudine nucis avellanae et nucis iuglandis observabantur. Ceterum valetudo aegrotae non affecta videbatur: functiones organorum pectoris et abdominis normales; menses deerant. nec tamen aegrota molestias inde capiebat. Pedes nonnihil oedemate affecti.

*Diagnosis*: Pseudoplasma fibrosum et lipomatosum.

*Cura.* Tumoris ambitus ultra modum extensus cultrum in usum vocari vetabat; studendum igitur erat, ut remediis internis externisque solventibus oppugnaretur. Quo consilio interne solutio Kalii iodati (℈II in aquae ℥VIII) data, externe unguentum Kalii iodati infrictum est circa tumorem. — Iam octo diebus post perspicue glandulae colli tumefactae imminui observatum est, nec tamen alia ulla in aegrotae conditione mutatio apparebat. Die I. et II. mens. Novembris aegrota tempore postmeridiano horrore quodam levi et frigore, vesperi calore adaucto affecta est; pulsus 84 ictuum. Caput paululum gravatum, lingua satis pura, appetitio non minuta, cutis aliquantulum humida, coenesthesis molestior. Inter deglutiendum levis in fauce dolor sentitur; velum palati et tonsillae solito obscurius rubefactae. — Febricula talimodo exorta refrigerio ex aeris intemperie tunc temporis regnante, adscribebatur. Usus Kalii iodati, quod hucusque bis per diem sumebatur, nunc statim interdictus est. Aegrota lectum tenere iussa; infusum florum Sambuci (℥VI e ʒII) cum liquore Ammoniaci acet. (℥ $\beta$) propinatum est. — Die V. mens. Nov. Fere nihil mutatum; cutis paullo humidior, deglutiendi difficultas remissa, status febrilis perstat. — Die VI. pulsus subito observatur 120 ictus praebens et parvus. Caput paululum gravatum, lingua pura, appetitio satis bona, secretio lotii parca, alvi solutio regularis, cutis humida: aegrotae debilitas maior; oedema pedum perspicue minutum. — Die VII. Debilitas increscit: caput gravius; lingua humida eiusque apex rubefacta; appetitio minor; sitis admodum magna; nulla alvi solutio: pulsis tem-

pore matutino 125, vespertino 130 ictuum. Cutis adhuc humida. — Die VIII. Pulsus vesperi 140 ictus assequitur; accedunt deliria per noctem quasi furibunda et perstantia; calor capitis auctus; oculi rubefacti, pupilla normalis; dolor in regione frontali premens; appetitio nulla; lingua subalbide obtecta et magis sicca; sitis adaucta; lotii secretio etiam rarior; nullae faeces; cutis sicca; in regione epigastrica maculae nonnullae parvae et purpureae observantur, digito premente non evanescentes. Suribus sinapismi appositi et clysmata repetita sunt. Die IX. conditio aegrotae nulla ratione melior; caput multo etiam gravius; lingua siccior obscuriusque et crassius tecta; pulsus 140 ictuum. Maculae assecutae sunt magnitudinem pisi et fabae subrotundae, marginibus dentatis. Interne data est aqua chlori diluta bibenda. Vesperi pseudoplasma faciei perspicue deminutum esse observatur; ceterum fere nulla conditionis mutatio. Die X. mane aegrota sopore oppressa mentis non compos; caput solito calidius; pupillae dilatatae; postea respiratio stertorosa; lingua sicca; cutis sicca nec tamen amplius calida; maculae in regione epigastrica eiusdem conditionis; femur dextrum autem duplo amplius tumefactum, non iam durum, tectum sugillationibus purpureis; faciei pseudoplasma omne evanescebat. Aegrota mentis non amplius campos, iamque hora 11 matutina obiit. Sectionem, quod valde dolendum, institui non licitum est.

*Epicrisis.* Quamvis cadaveris sectione, si licuisset, multa fortasse et gravia epicriseos momenta nobis data essent, tamen vel sic aliqua cum certitudine casum nostrum diiudicare poterimus. Inprimis enim ut mihi videtur constat, tumoris resorptionem usu Iodi modico esse effectam. Quod quamquam usu Iodi frequenter fieri satis expertum est, hic tamen casus praeclare nos docet, non semper sine periculo resorptionem subitaneam evenire, atque in usu huius remedii magna circumspectione opus esse, praesertim quod hic observavimus, vel minores doses tantum effectum habere posse,

quum aegrota in universum paene drachmas duas tantum sumpsisset. Quod vero attinet ad minores doses Iodi, huic rei repugnat sententia plurimorum medicorum qui plerumque statim doses (ʒII in ℥VIIII solut.) dare incipiunt et sensim mirum quantum augere solent. Attamen si non vel eo minores Iodi doses comprobem, quod praeceptor maxime venerandus Wutzer tam saepe tamque graviter eas commendavit, ex hoc nostro casu persuasum mihi sit dosibus illis pro sententia multorum medicorum exiguis (℈II in ℥VIII ab initio, sensim adauctis ʒI in ℥VIII) satis magnum nos assequi posse effectum. Sanguinem porro, cuius mixtio, ut verisimile est, in pseudoplasmate unoquoque mutata est, in nostro casu resorptione tam celeriter facta multo magis etiam mutatum fuisse, phaenomena demonstrant, quae apparebant in cute. Similitudo nonnulla nec tamen ita magna intercedit inter hunc de quo agimus interque casus pyaemia effectos; namque in his, si pus in unum locum se converterit et focum sibi conformaverit, sanatio saepius effici solet, neque minus in nostro casu natura idem assequi studuit, quoniam id agi vidimus, ut novus morbi focus in femore procrearetur. Sin vero resorptio non tam subito facta esset, exitus fortasse non tam infelix fuisset. Casus noster denuo comprobavit, in variis pseudoplasmatis formis nullo studio causam mali tam atrocis investigari posse, quum homines robustissimi eiusmodi morbis corripiantur. De natura ipsius tumoris, quae nunc nostrae hac in re experientiae sunt, nihil certi statuunt, cum disquisitione anatomica careamus. Id tamen verisimillimum, eum malignioribus adscribendum fuisse, quamquam nonnulla malignitatis symptomata, quae afferri solent, utpote dolores lancinantes, emollitio, exulceratio et similia, defuerunt; eo tamen pseudoplasma nostrum malignam profecto naturam sufficienter exhibuit, quod, resorptionis vi sanguini transmissum, in hoc nisum destructivum, inde maculas illas rubras decompositionem incipientem indicantes, produxit, denique aegrotae vitam ipsam destruxit. —

# III.

## De Keloide (Cheloide).

Genus quoddam tumorum, parum modo cognitum atque observatum, vixque in praestantissimis operibus commemoratum, id est, quod ab Alibert „Cancroides“, a Rayer „Cheloide“ nuncupatur. Ex eo inde tempore, quo primum Alibert hoc morbi genus observavit atque descripsit, pluries quidem ab aliis visum, variaeque de hac re exortae sunt discussiones inter medicos praesertim gallicos, veluti Gimelle, Desportes, Velpeau, Blandin, Nacquart, inter anglicos Hawkins, Babington, Cuttler. — Bateman, qui existere id genus initio negaverat, posthac magnae observationum gravitati cedere coactus est, ita ut in nullum iam dubium vocari liceat, quin singulare id tumorum genus exsistat: eiusdemque rei casus illi ab Ill. Wutzer observati, quos statim allaturi sumus, testimonio esse poterunt. Rayer, qui accuratiorem huius generis tumorum descriptionem, tanquam summam omnium quae adhuc factae sunt experientiarum, nobiscum communicat, haecce de iis profert:

*„La Kéloide paraît sous la forme d'une excroissance, dont le relief est peu considérable. Sa forme est ronde, ovalaire, oblongue ou cylindracée; sa couleur est d'un rose pâle avec des linéamens blanchâtres; son aspect est lisse, luissant, et l'on peut assez bien le comparer à la cicatrice peu ancienne d'une brûlure, dans laquelle la peau est profondément intéressée. Les bords de cette tumeur aplatie sont arrondis et donnent naissance a des prolongemens, dont le nombre, l'étendue et la direetion varient. C'est à ces pédicules que la Kéloide doit son nom. Le siége le plus ordinaire de cette tumeur est à la partie antérieure de la poitrine, entre les seins, sur les épaules, à la partie inférieure de la région cervicale à la face postérieure des avant-bras, à la partie externe des cuisses; elle est accompagnée d'une augmentation sensible*

*de la chaleur dans la partie affectée, de demangeaisons et de picotemens insupportables; parfois de douleurs vives et pongitives qui se propagent dans les parties voisines et qui se manifestent surtout pendant la nuit, dans les temps orageux et humides, et lors de l'apparition des règles. On voit rarement plusieurs Kéloides sur le méme individu, et les femmes en présentent plus souvent que les hommes. Ces tumeurs, formées par un tissu serré, blanchâtre, fibreux et noir, sont trés-lentes dans leur progrés, et ne dégénèrent en véritable cancer, que par l'usage des topiques irritans: jamais elles ne disparaissent d'elles-mêmes.*"

Quod vero ad causam huiusmodi tumorum attinet, horum nullam certam inveniri posse causam, intelligimus. Dyscrasiam universalem necessario subesse, certa ratione affirmari licet ex infelicibus illis recidivis, sublatos tumores semper sequentibus, et ex hereditaria eorum natura ab Alibert observata; omni tamen tempore certam huiusmodi dyscrasiam demonstrare vix atque ne vix quidem poterimus. Dyscrasia syphilitica autem, quam in causa esse Gimelle initio existimavit, haud dubie eo refutatur, quod in multis eius generis tumorum casibus, sic etiam in Bonnensibus, haec nullo tempore aderat, neque methodicis unguenti mercurialis post operationem inunctionibus impediri poterat, quominus tumores redirent, id quod iis, quae ipse expertus est, demonstratur. In aliquot quidem hominibus hoc morbo laborantibus scrofulosis comprobari potuit, tamen maior eorum numerus omnino sani erant integrisque functionibus, et par illud casuum, in quibus, mensibus suppressis, morbus noster exortus est, id genus solum est. Qua de causa vero in ipsis infantulis puellisque quae adolescunt, apparere soleat morbus, vix quidquam certi hac de re contendere licebit. In nullum tamen dubium vocari potest, quamquam semper externae causae cutem alterantes comprobari queant, has solas malum tam infestum tamque pertinax procreare non potuisse, nisi, quod supra demonstravimus, cachexia quaedam universalis, nobis

sane incognita, qua in re similitudinem habet cum plerisque cancri labiorum casibus, in quibus fumisugium causam occasionalem perhibet, quae dyscrasiae universalis in hunc locum specialem constituendae ansam praebet.

Iam vero quod attinet ad naturam huiusmodi tumorum, Blandin, Gerdy, Gimelle eos „simples végétations“ esse opinantur. Hawkins, eximia cum doctrina de Keloide disserens, arbitratur, esse eos simplicem benignamque hypertrophiam cutis, cuius textura quasi confusa sit, id quod in compluribus quoque hydropis anasarcae casibus conspiciatur; in Keloide tamen loco seri depositionem magis organicam inter partes filamentosas exstare. Ex sententia Hawkins iudicandum esse videtur, verrucas, condylomata et Keloiden varios esse gradus unius eiusdemque status hypertrophici, qui, prout papillae aut superficies externa aut tota cutis potius sedes hypertrophiae sit, fortasse etiam pro vario humoris gradu variaque incrementi celeritate, modo hac, modo illa formae immutatione appareat: quibus praeterea adnumerare possis elephantiasin, ubi tela cellulosa subcutanea morbo affecta est. — Alibert morbum nostrum medium tenere censet inter „dartre et cancer“, quum alterius indolem squamosam, alterius dolorem habeat et aeque ac genus carcinomatis in neurilemate sedeat. Hoc tamen eo potissimum refellitur, quod Keloides nunquam gibbosus, asper, verrucosus et, si in ulcerationem transit, fungosus fit ut cancer; neque minus sedes tumoris contrarium demonstrat, qua de re neque Alibert nec Rayer accuratissimas instituerunt observationes. Ut enim Babington et Cuttler ostenderunt, Keloides semper externa et interna cutis lamella circumclusus inter utramque insidet, quam sedem cancer rarissime tenet; qua ratione Alibert similitudinem quandam cum „dartre“ se investigasse ait, minime explicare possum. Contra Hawkins prae ceteris id opponendum est, quod Keloides etiam cum condylomatis ne minimam quidem similitudinem habet. Hae enim phaenomena sunt syphiliticae dyscrasiae, qua sublata,

facilius exstirpantur. Keloides, praeterquam quod nunquam syphiliticae affectionis signum est et nunquam in genitalibus hucusque observabatur, respectu intimae naturae, nec non dispositionis ad recidivum morbem nunquam extinguendae, multum differt ab aliis eiusdem generis affectionibus, quum quasi suum habeat organismum proprium. Nunquam autem ad eorum sententiam accesserim, qui opinantur esse eum pseudoplasma benignum et innocens. Indicia, quae ad cognoscendam tumoris malignitatem constitui solent, quamquam ea ratione minime sufficiant, quod deficientibus illis tumor nihilominus malignus esse potest, tamen ubi adsunt (dolores lancinantes, rapidum incrementum et recidivus morbus), malignitatem tumoris coniicere solet quae idcirco illi haud dubie tribuenda est. Microscopium iis quae a se desiderantur, et explanandae quaestioni minime respondit, id quod fere semper fieri solet, quamlibet magnas ediderint laudes anatomi nonnulli pathologici de permagna microscopii utilitate ad difficilem hanc rem decernendam. Etenim cognitum habemus ex inquisitionibus microscopicis, quae a Cuttler, Babington, Hawkins, Toynbee in Keloidis excisis institutae sunt, consistere eos textura cellulosa-fibrosa, solida, alba, in qua sparsim singulae cellulae inclusae sunt, sicut in multis telis normalibus observatur. Contendere nihilominus licet, Keloiden malignum esse pseudoplasma. Quam sententiam praeterea eo magis tueri debemus, quod Keloiden per longius tempus degentem, praesertim cura inepta irritatum in ulcerationem transire atque progressa ulceratione similiter atque in cancro aperto summum afferre periculum, quin mortem provocare, videmus. Oppugnaverit fortasse quispiam hanc sententiam nostram eo argumento, quod Alibert, Hawkins (quibus Rayer immerito contradicit) tumores illos hoc in stadio ulcerationis sanatos esse, atque nonnunquam corrugatos et siccatos evanuisse, observarunt. Mirum tamen non est, quum cognoverimus, homines Keloide affectos plerumque fuisse optima valetudine integrisque functionibus, et hac in re idem contingere, quo magni

interdum et ampli tumores natura sanantur, si quidem constitutio hominis incorrupta est et valida, cuius rei exemplum nos ipsi casu huius dissertationis secundo attulimus. Itaque hic iterum natura optimus medicus, quae plus valet quam chirurgi celeberrimi, qui fere semper medicationem frustra susceperunt. Imprimis vero exstirpatio nunquam proficit, idque minus, ut Hawkins putat, quod Keloidae similiter ac verrucae difficulter funditus exstirpare possint, quippe qui, etiam si recte et satis profunde exstirpati fuerint, tamen in cicatricibns incisionum et punctionum acuum iterum apparere solent. Remedia interna etiam hucusque inutilia fuerunt, maximum tamen levamen praebere dicuntur remedia narcotica in emplastris et cataplasmatis adhibita, lotiones frigidae, aqua Goulardii, imposita lintea liquidis tonicis perfusa etc.; contra cauteria quaecunque non modo omnino nihil valent, verum etiam morbum in plerisque casibus reddunt peiorem. Quae cauteria quum in cancro frequentem utilitatem praebere constet, hac re novum praeterea inter utrumque pseudoplasmatis genus discrimen efficitur.

Iam vero ab his in maximis quidem rebus nihil dissentiunt observationes ab Ill. Wutzer de hoc argumento factae, velut ex sequenti ipsorum casuum descriptione intelliges.

## Casus primus.

*Anamnesis.* Ioseph Drüsch, ex pago Udenbreth, coctor cerevisiae, sanis parentibus natus est, quos ambos aetate longius demum provectos amiserat. Ex septem germanis, quorum ipse natu maximus est, quinque adhuc superstites sani sunt. Primus quo laboraverat morbus rubeoli fuerant, unde tamen nulla sibi remansisse incommoda meminit. Duobus fere annis postea variocellis se correptum esse narrat, qui levia tantum et exigua in dorso utriusque manus vestigia reliquissent. Praeter hos morbos infantiles (nulla enim dyscrasiae scrofulosae signa ullo modo deprehendi possunt) us-

que ad annum aetatis XXI morbis minime laboraverat. Quo tempore, anno insignissimo 1815, patriam defensurus, ad militiae disciplinam profectus praesidium habuit in oppido Thionville, ubi per lecti socium scabie infectus est. Veritus ne in cubiculo scabiosis accommodato collocaretur, clam pharmacopolae auxilium petiit, qui ei unguentum ex albido flavum manui et articulis scabie affectis infricandum atque flores sulphuris interne sumendos dedit: quo facto mox scabies est suppressa. Non multo tamen post aegrotus sensum ponderis in corpore habere et frequente tussicula laborare coepit, pectorisque oppressionem querebatur, quam ob rem emplastrum vesicatorium ordinarium ei datum est, cuius vestigia, quum remotum esset, brevi tempore evanuit. Anno aetatis XXIII aegrotum iterum sensus ille ponderis in cruribus et lumbis invasit, ibique pustulae exortae sunt, quibus expressis liquor albidus profluxit. Ex eo inde tempore aegrotus satis liberum se morbis sensit, usque eo dum abhinc annis nonnullis in opere occupatus contusionem accepit in anteriore thoracis parte, circa regionem scrobiculi cordis, cuius ab initio nullum habuit rationem, quam tamen, quum suspecta videretur, amici cuiusdam consilio adductus spiritu camphorato perfricuit. Pressu ob varias opificii occupationes continuato induratio illa primum exigua sensim maior fiebat et amplior, quo impulsus medicorum consilium exquisivit. Quum tamen neque unguentum ex Veratrin. (gr. III cum ℥I adip. suill.) ab altero praescriptum, neque emplastrum ex Hyoscyam. et camph. ab altero propositum usui essent, ad clinicum chirurgicum Bonnense delegatus die 2. m. Maii 1842. receptus est.

*Conditio praesens.* Ios. Drüsch, 44 annos natus, statura media, robusta, capillis ex fusco nigris, colore faciei vegeto infuscato, genis rubentibus, dentibus formosis atque integris. Pectus bene convexum bona respirationis organa indicat. In regione scrobiculi cordis pseudoplasma conspicitur fere 3″ longum et 2″ latum, durum ex subcoeruleo

rubrum, non dolens, quod sub cute facile huc illuc moveri potest.

Exstirpatio die 4. m. Maii ab Ill. Wutzer facta est, quum tumor incisionibus ovalibus duabus in circuitu ductis excisus sit. Sequentibus diebus febris traumatica modica. Quum sanatio vulneris sutura nodosa clausi satis exoptate processisset, aegrotus die 14. m. Maii domum remissus est. Fere anno postea pseudoplasma novum in cicatrice, quae antea fuerat, exortum et magis quidem perspicue in singulis incisionum canalibus sutura factis ita ut cutis inter illos esset normalis; pseudoplasma, ad hoc tempus omnino non dolens, tela cellulosa condensata quasi sacco circumdatum erat. Exstirpatio secunda tumoris die 12. m. Iulii a. 1843 a Dr. von der Höhe facta et vulnus ex parte sutura clausum. Sanatio per suppurationem maxime tarda; die 30. m. Augusti, quo tempore vulnus perfecte cicatrice tectum erat, aegrotus clinicum reliquit. Quinque tamen mensibus post eodem loco tumor nasci coepit; medicus quidam emplastrum mercuriale camphoratum imponendum curavit. Quamquam per tres menses adhibebatur, tumor tamen crescebat et tum dolere coepit; paullatim etiam in ulcerationem transiit, posteaquam ab initio quasi squamulae albae tumorem obtexerant. Anno 1846 die 27. m. Ianuar. aegrotus noster iterum Bonnam profectus et Direct. clin. chirurg. Ill. Wutzer se obtulit, qui conditionem talem invenit: Illo pectoris loco memorato magnum ulcus nunc erat, cuius diameter longissima a parte superiore sinistra ad inferiorem dextram 7″, diameter longitudinalis recta 5½″, diameter transversa maxima et ipsa 5½″. Dolores lancinantes aegrotum sub vesperum potissimum et priore noctis parte excruciant. Multae excrescentiae fungosae tuberosae fundo inaequabili inhaerent, praesertim in media parte ea, ubi prior excisio facta erat, horrendum adspectum praebentes. Quum magnum ob tumoris ambitum nullam institui liceret operationem, domum remisso commendatum est, ut ulcus continuo purgatum servaret, et nihilo uteretur, nisi fo-

liis plantaginis mediae imponendis atque alvi solutionem semper adiuvaret. Ex eo inde tempore nullum de aegroto nostro nuntium accepimus. —

### Casus secundus.

*W*. virgini Francofurtensi, 17 annorum, parentibus spectatis natae, quum infantili aetate tussi convulsiva laboraret, unguentum Stibio-Kali tartarici in anteriori pectoris parte infricatum erat. Sub tempus primorum mensium cicatrices, quae hucusque quasi conquieverant, paullatim super cutem normalem se extollentes deformitatem produxerunt. Ill. Chelius, cuius consilium puella Heidelbergae exquisivit, cicatricibus luxuriantibus exstirpatis, vulnus sutura cruenta facili negotio sanavit. Aliquot post annis, 1842, eadem virgo Bonnae ad Ill. Wutzer adducta est. In interiori parte mammae dextrae ample evolutae e cicatrice incisionis operatione factae simulque ex sex illis punctionum acuum cicatricibus sutura cruenta relictis Keloides excreverat, omnino eadem exhibens phaenomena, quae Alibert, Rayer, alii de tristissimo hoc malo attulerunt, qualia etiam in viro Drüsch (cas. I) observata sunt. Circulares illae et convexae candidaeque excrescentiae e parvis punctionum cicatricibus exortae, quarum tres ratione omnino regulari in sinistra, tres in dextra parte vulneris operatione antea facti sedebant, adspectum maxime singularem praebebant. Multo tamen altior quam illae Keloides medius et oblongus super cutem normalem prominebat. Ill. Wutzer operationis non iterandae consilium dedit, diaetam commode instituendam, serum lactis potandum commendavit, attamen ex eo inde tempore nullum de aegrotae conditione nuntium accepit.

Puella *W*. pro iuvenili tunc temporis aetate solito corpulentior et tanquam completa virgo formata, ceterum sese omnino bene habere neque ullum in cicatricibus sentire dolorem affirmavit. Sola deformitas excrescentiis effecta eam impulerat, ut medici auxilium imploraret.

### Casus tertius.

Anna Maria *St.*, Coloniensis, 16 annos nata, inde ex tertio aetatis anno morbis variis laborabat, imprimis vero fluore albo acri et saepe crura ipsius exsauciante, ad hoc tempus usque perseverante. Menses anno abhinc tenuissimi apparuerunt, indeque tertia quaque hebdomade, prius quinto decimo quoque die, eadem tenuitate redire solebant. Laboraverat etiam tinea capitis usque ad tertium quartumve aetatis annum, sponte denique evanescente. Mater adhuc viva glandulis laboravit tumefactis aeque atque filia aegrota; illius glandulae in ulcerationem transierunt, id quod tamen in filia non est factum. Aegrota gracili est statura et corpore bene formato, specie bona atque sana. Anno 1841 primum 2″ infra marginem liberum manubrii sterni exiguam prominentiam rubentem observavit, quam saepe perfricabat. Mens. Sept. a. 1845 prominentia magnitudinem pisi habebat, atque tunc a beato medico W e i l e r Coloniensi excisio est instituta; quum tamen vulnus non consanesceret, postea lapidem infernalem adhibuit, sed et hoc nihil profuit. Ineunte mens. Ian. a. 1846 cl. Dr. O. F i s c h e r auxilio arcessitus excisionem iteravit.

Nunc, die 18 m. Mart. a. 1846, vulnus perfecte consanuit; attamen ex his octo diebus aegrota dolores lancinantes sentit et locus ille pressu dolet. Tumor denuo adest, plane elatus, colore subrubo nitens, una cum cute mobilis (quam cutem multa et tenuissima percurrunt vasa sanguifera), 1″ longus et ½″ latus, atque ad partem dextram et ad partem sinistram ex iis, locis; in quibus antea acuum punctiones fuerunt, fungus subrotundus prorumpit. Ill. W u t z e r diaetam commodam commendavit, et operationis non iterandae consilium dedit.

Tres hi casus, (qui cur Keloidae sint, non habeo necesse demonstrare, quum ex iis quae supra de hoc tumorum genere diximus facile intelligatur) numerum viginti et quinque circiter casuum, ad hoc tempus observatorum et pro-

mulgatorum, adaugent eosque comprobant, et quamquam his experientiis aeque parum atque in maiori ceterorum casuum parte hominibus malo illo affectis faustior ad sanandum prognosis dari poterat, gaudendum tamen est, quod diagnosin horum pseudoplasmatum magis magisque accuratam et certam fieri cognoscimus.

---

# IV.

## Ruptura perinaei.

Incommodo hoc tam saepe partum difficilem sequenti, quod creberrime, ubi gravius adest, mulieris salutem perimere potest, curam et operam multorum illustrium medicorum esse imploratam, facile coniicies. Varia tamen illa, quae ab iis commendata sunt, de instituenda cura, inprimis operatione (namque haec sola gravioris rupturae perinaei sanationem promittit), satis demonstrant, operationem inter difficiliores esse referendam et frequenter felici carere successu. Quodsi vel inde intelligis, ipsam operationem perquam accurate peragendam, curam consecutivam quoque magna cum circumspectione instituendam esse: ruptura perinaei recte sanata non potest non praebere praeclarum peritiae medici testimonium. Si denique consideramus, ex anterioris aetatis medicis permultos felicem operationis eventum in dubium vocasse et chirurgos anglicos tot et tanta in hac re infortunia esse expertos, ut, excepto I o h n H a r v y, operatio apud Anglos in usum non veniat, maximi profecto erit momenti, quatuor novos cognoscere casus, qui ab Ill. W u t z e r operatione sunt sanati.

Qui omnes quatuor inveterati rupturae casus sunt, partibus affectis cicatrisatione maxime mutatis et deformibus, successum longe infeliciorem minitantes quam recentes casus, ubi,

etsi nociva adsit vis puerperii, sanationem procul dubio feliciori cum successu certiusque assequi possumus. Operatio ab Ill. Wutzer suscepta in eo constitit, ut rupturae margines et parietes per latitudinem pollicis scalpello ubivis sauciarentur; quo facto suturae nodosae ope inde ab intestino recto usque trans commissuram posteriorem ascendentis margines rupturae adunati sunt, qua in re acus ab altero latere inductae, ab altero latere (3''' a margine vulneris distantes) eductae sunt ea directione, ut simul fundum rupturae comprehenderent, itaque per anteriorem intestini recti parietem et praeter membranam mucosam intestini recti (quod non facile fieri potuit, ne intestinum rectum ipsum acus penetraret) traducerentur. Fila nodis colligata sunt. Cura consecutiva, summopere adiuta rebus ante operationem praeparatis, veluti sumptis cibis liquidis, remedio laxante et post operationem data dosi Tincturae Opii thebaicae, eo spectabat, ut aegrota iustam positionem teneret genubus convinctis, catheter recte omni tempore iniiceretur, alvus non solveretur et partes affectae aqua tepida frequenter et cauta manu purgarentur.

## Casus primus.

*Anamnesis*: Petronella Grothausen, ex oppido St. Vith, 36 annos nata, omnibus libera est dyscrasiis. Morbos infantiles bene superavit. Anno aetatis septimo et decimo menses apparuerunt, ex eo regulariter accedentes et decurrentes. Decem annis demum post nuptias primum peperit infantem, secundum post menses novem et dimidium: qui partus uterque normalis fuit. Quum praegnans tertium utero contineret et ultimum graviditatis mensem intraret, magna cum intentione laboraverat, aquam ex profundissimo puteo hauriens, qua in re quum se dimitteret ponderosam amphoram aqua plenam levatura, factum est, ut pars membranae mucosae intestini recti ex orificio ani protruderetur. Repositio statim suscepta nullum habuit, qui maneret, succes-

sum; etenim faecibus evacuatis membrana mucosa iterum iterumque prolabebatur. Brevi tempore post partus incepit et aegrota intolerabiles se dolores perpessam esse narrat, qui mentis eam non compotem reddidissent: praesertim, quum chirurgus ebrius missionibus sanguinis et clysmatibus levamen aegrotae afferre conarctur, rudi tamen clysmatis applicatione haemorrhagias ex intestino recto denuo prolapso efficeret. Quum animum recepisset, partum iam factum esse; quomodo tamen ruptura perinaei effecta esset, se dicere non posse. Medicus quidam arcessitus rupturae prorsus nullam habuit rationem, sed prolapsum ani post partum continuo perstantem cataplasmatis et similibus sanare studuit. Ex eo tempore aegrota semper in lecto iacere coacta fuit, propter dolorem intolerandum, qui cum inflatione abdominis aderat. Lotii exigua tantum copia secreta est, ex intestino recto prolapso tamen liquor serosus continuo profluxit. Omnes vero hi cruciatus cessaverunt, quum obstetrix uterum, quem in situ falso esse cognoverat (quod medicus quidam fomentationibus lactis tollere studuerat), in iustum situm restituisset, quo facto obstetrix simul prolapsum ani removere potuit. Quum vero aegrota nihilominus faeces iterum iterumque sponte decedentes videret, annis duobus et dimidio post rupturam factam auxilium clinici Bonnensis expetiit.

*Conditio praesens*, mense Iulio 1831. Aegrota virium, quas ante habuit, multum amisit. Functiones omnes et organa praeter ea, quae mox descripturi sumus, sana. Totum perinaeum inde a commissura poster. usque in sphincterem ani diruptum est. Ruptura, ut plerumque, paullo magis ad latus sinistrum quam ad dextrum sita longitudinem habet 3″, et profunditatem 1″. Partes circumiectae normales, margines non iam distincti. Lotium normali modo secernitur, excretio alvi continuo involuntaria. Ex postremis diebus aegrota dolorem trahentem in regione sacrali sentit.

Operatio die 9. m. Iulii rebus illis, ut supra, praeparatis et methodo iam memorata, per Ill. Wutzer instituta

et cura consecutiva eodem quo supra modo adhibita est. Quinque ligaturae factae sunt, quarum tres quarto die, duae quinto die post operationem remotae sunt. Die quarto etiam menses accesserant, quo dolor in regione sacrali cessavit. — Hic fuit operationis eventus: aegrota faeces pro libitu retinere et evacuare potest, omnia in intestino recto consanuerunt, sicut perinaeum, excepta parte parva commissurae posterioris. Mulier restaurato corpore simul et animo domum rediit die 5. m. Augusto. eiusd. anni.

### Casus secundus.

Cath. Henseler ex pago Hemmerich, 27 annos nata, semper debilis quidem fuit; attamen praeter morbos infantiles nullis unquam dyscrasiis laboravit. Anno aetatis decimo septimo menses apparuerunt et vicesimo primo nupsit. Per complures inde annos infantes duos peperit sanos partu satis facili. Ubi autem dimidium graviditatis tempus transegerat, uterus tantopere in profundum prolabebatur, ut externe conspici posset, et incessum impediret. Partu factu uterus horsum ascendit. Mense octavo tertiae graviditatis aegrota in stabulo operans versabatur, dorso ad vaccam converso, capite demisso. Hoc temporis momento vacca cornu in vaginam infixit atque mulierem levans posteriorem vaginae parietem totumque perinaeum discissit. Sanguinis profluvium medicus spongiis aqua frigida immersis sedavit, tribus diebus post vulneris margines sutura nodosa coniunxit; qua operatione vero quum nullam amplius haberet mulieris rationem, eventus prosper nequaquam effectus est, ita ut faeces per vaginam quoque excernerentur. Quatuor hebdomadibus postea infans tertius intra tres horas partu editus est. Sutura aliquot diebus post partum denuo imposita nihil profecit atque aegrotae in clinicum nostrum die 16. m. Febr. 1841 receptae haec fuit conditio:

Aegrota cuius habitus debilis nihil aliud monstrat abnorme, durissimas tantum faeces aliquoties retinere potest, quae magis liquidae nolenti semper evacuantur. Perinaeum totum usque in sphincterem ani diruptum, ita ut digitus in vaginam inductus attingat parietes intestini recti. Uterus normalem situm tenet. Praeparatio, operatio, cura subsequens eadem quae supra; ex quinque ligaturis tres sexto post operationem die, reliquae septimo remotae sunt. Hic fuit successus: ut die 18. m. Mart. dimissa est, perinaei pars longe maior restaurata apparet, praecipue ad orificium ani sanatio perfecta est; commissura posterior vaginae tamen nondum omnino clausa. Lapis infernalis ad vulneris margines hoc loco adhibitus parum prodest. Optimus vero is aestimandus est eventus, quod nulla iam est inter vaginam et intestinum rectum communicatio, atque mulier faeces sponte sua evacuare potest.

### Casus tertius.

Mulier *M*.... Crefeldiensis, 38 annos nata, septem ante annis forcipe in partu primo usurpata rupturam acceperat; postea iterum peperat. Per omne hoc tempus vires eius semper nonnihil exiguae magis magisque imminutae erant. Quum ruptura non solum perinaeum totum occupasset, sed sphincterem quoque corripuisset, nec durae nec liquidae faeces cohiberi poterant. Ad hoc incommodum salutem mulieris valde labefactans mox accessit abdominis inflatio, quae aegrotam frequentissimo dolore spasmodico excruciabant viresque exhauriebant. Nullum huius rei levamen fuit. Mulier constitutionem prae se ferebat diuturnis malis valde collapsam et debilitatam. Operatio modo iam exposito suscepta et peracta m. Iulio a. 1848. Ex ligaturis novem impositis, die quarto quinque, die quinto et sexto ceterae solutae sunt. Quamquam ex constitutione mulieris ad vim plasticam minime idonea tantummodo infaustum licebat exspectare

eventum, intestinum rectum perfecte, perinaeumque totum, excepta parva parte commissurae posterioris fere duas lineas longa, per primam intentionem consanuerant. Ex eo tempore omni illa intestinorum inflatione mulier liberata, faeces sponte tenere et mittere potuit et omnino sanata domum rediit.

### Casus quartus.

Casus hic quartus cum tertio ea re valde congruit quod ruptura hic quoque forcipe provocata et totum perinaeum cum sphinctere ruptum est. Prognosis in hac muliere *B* . . . . Coloniensi, 30. annos nata, admodum robusta, longe faustior erat quam in aegrota tertii casus. Nostra imaginem summae valetudinis exhibebat, eiusque conditio etiam eo magis erat tolerabilis, quod duras faeces retinere poterat. Ruptura facta iterum partum ediderat. Eadem operatio, eadem cura subsequens. Ex octo ligaturis die quinto duae, die septimo quatuor, die nono reliquae solutae sunt. Successus erat perfectus et omnino felix: non tantum ruptura sphincteris et perinaeum totum per primam intentionem consanuerant, verum etiam commissura complete erat restituta, ita ut genitalia speciem omnino virginalem prae se ferrent: qui successus felicissimus eo maxime effici potuit, quod Ill. Wutzer semper trans commissuram posteriorem plures quam opus est partes ligaturis iungit, experientia edoctus, omnibus in casibus parvam partem suturae relaxari. Operatio die 16. m. Iunii 1849 facta et mulier die 30. eiusd. m. dimissa est.

Successus quatuor horum casuum profecto maxime exoptatus et summo nobis est hortamento, idque tanto magis, quum ill. Wutzer peritiae et dexteritati contigerit, ut simplici sutura nodosa cuncti sanati sint. Haud paullum igitur miraberis, quod, etsi complures medici germanici, inprimis Dieffenbach (cuius tamen methodus non adeo simplex est) felices iam operatione nostra eventus adepti sint, medici mulieres illas curantes operationem non quam primum propo-

suerunt[1], neque si ipsis dexteritas utique necessaria defuerit ad probatos chirurgos eas commiserunt, ita ut miserae illae atque infortunatae coniuges per annos continuos tristissimis malis oppressae manserint, quibus tamen multo prius levari potuissent. Dum finem libello nostro impostituri fuimus, alia iterum mulier simili infortunio affecta, miserrimam speciem exhibens, auxilium petiit Ill. Wutzer, quae eo quidem consilio huc erat profecta, ut pessarium idoneum ad prolapsum vaginae ruptura exortum eligendum curaret. Affirmaverat enim medicus qui ipsam curaverat, hac sola ratione aliquantum levaminis acquiri, operationem omnino nihil proficere posse. —

Si genius propitius hunc libellum nostrum tueatur, neque eadem quae maiori fraterculorum parti sors ei obtigat, quatuor hi casus certo adiuvabunt, ut medici maiorem huius operationis probatae fiduciam habeant et opiniones praeiudicatas certis experientiis postponant: quae si futura sint, dissertatiuncula nostra aliquid utilitatis suppeditans verum propositum consequatur neque, ut inanis ritus et cerimonia, ad patres congregetur neve ad acta reponatur.

## V.

## De polypis malignis urethrae femineae.

### Casus primus.

*J.* mulier Coloniensis, 32 annos nata, satis robusta et corpulenta, primo propter dolorem, quo inter unumquemque cum coniuge coitum afficiebatur, malum quoddam locale adesse sentire coepit. Postea nonnullum quoque in reddendo lotio impedimentum apparuit. Medicus quidam arcessitus tumorem in urethra conspici affirmavit, ad quem saepissime cau-

terium liquidum, ut videtur tincturam Iodi, applicabat. Mulier inde vehementissimum semper dolorem percipiebat, inde a partibus cauterio affectis usque in profundam vesicam se extendentem. Quum malum praeterea hoc remedio minime levaretur, die 17. m. Septembris 1839 in clinicum chirurgicum Bonnense recipiendam se curavit. Exploratione instituta polypus apparuit rubens, elasticus, tactu facillime sanguinem mittens, qui magnitudine fabae ex orificio urethrae procreverat. Die 18. m. Septembris operatio ab Ill. Wutzer ita instituta est, ut primum pars anterior urethrae scalpello diffinderetur, deinde polypus basi lata inhaerens, forfice Cooperi funditus exscinderetur et ferrum candens denique compluries vulneri adhiberetur. Post operationem dolor nonnisi in mittendo lotio vehemens erat; nulla orta est febris. Postea in locum, ubi vulnus fuerat, penicillo inducta est solutio concentrata Extr. campechiensis. Die 7. m. Octobris aegrota omnibus in lotio reddendo doloribus libera dimissa est. Ex nuntio tamen postea accepto polypus rediit.

## Casus secundus.

*K.* mulier Bonnensis, 53 annos nata, antehac frequente laboraverat cephalalgia nervosa, forsitan ob animi affectus deprimentes, quibus res domesticas agens frequentissime exposita fuit. Viribus igitur, pro aetate sua, solito magis exhausta apparet. Per longem tempus fluore albo vexata fuerat. Anno 1839, annum quadragesimum quartum agens, postremum partum ediderat. Qui partus felicem quidem exitum habuerat, tribus tamen diebus post in lotio mittendo dolore affecta erat. Medicus quidam tunc arcessitus prolapsum uteri in causa esse opinatus pessarium praescripserat, sed doloribus vehementioribus, accuratior demum exploratio suscepta est et pseudoplasma polyposum ex urethra prominens, magnitudine ac forma cerasi, a medico conspectum et ligatura sublatum est. Quo facto molesti in lotio reddendo do-

lores cessarunt usque ad m. August. a. 1847, quo tempore tam graves redierunt, ut consilium Ill. Kilian a. 1848 m. Ianuarii exquirere cogeretur. Qui cereolos dissolubiles unguento narcotico circumlitos quotidie in urethram immitti iussit; dolor urens inde auctus balneis emollientibus localibus etc. mitigari non potuit; itaque aegrota die XII. m. Aprilis 1848 clinicum chir. Bonnense adiit. Conditio eius haec: Mulier quotidie per horas gravi et dolente vesicam exonerandi stimulo vexatur: lotium tamen guttatim tantum profluit. Evacuatione facta dolores multo vehementiores fiunt. Per urethram non nisi magna cum difficultate tenuissimus cereolus transit. Somnus acerbo lotii mittendi stimulo magnopere interrumpitur, coenaesthesis tamen bona. Urethrae inspectio corpus polyposum laete rubrum, spongiosum, sanguinem atrorubrum attactu facile fundens, ambitu fabae albae ex orificio prominens, in plures partes rotundas divisum, monstrabat. Hoc e tunica mucosa urethrae procreatum esse, simul observabatur; de natura polyposa pseudoplasmatis dubium exstare non potuit.

Die XIII. m. Aprilis exstirpatio ab Ill. Wutzer instituta est. Pseudoplasma unco acuto correptum forfice et cultro excisum est. Sanguinis profluvium maximum. Quod ut sisteretur, nova progenies tumoris simul securius impediretur, vulnus recens urethrae statim ferro candente pluries ustum fuit. Fomentationes aquae frigidae et postea aq. saturninae adhibitae sunt. Vulnere sanato mulier die 21. m. Apr. dimissa est: dolor iam nullus, stimulus lotii mittendi valde minutus. — Sed non multo post phaenomena illa morbosa redierunt, ita ut aegrota receptionem in clinicum secunda vice imploraret, quae die 16. m. Octobris eiusd. anni facta est. Pseudoplasma iterum apparuerat, multo minoris tamen ambitus. Urethra nunc, die XXI. Octobris, ab Ill. Wutzer scalpello profundius superne incisa est, ut sedes mali ipsa in conspectum veniat. Latus externum et sinistrum urethrae nunc parte sua tertia anteriore polypo late obtectum

esse, visum. Exstirpatione ope scalpelli satis profunde peracta, sanguis haud tam copiose profluxit, quam in primaria operatione. Ferrum candens pluries adhibitum, ne minima pseudoplasmatis pars etiam in profundo relinqueretur. Catheteris ope lotium per primos inde dies frequentius evacuatum. Eadem cura consecutiva. Die quarto post aegrota e lecto surgere potuit. Dolores ut post priorem operationem evanuerunt, et sanata die 21 eiusdem mensis dimissa est. — Proximo tempore nunc se doloribus fere liberam, per noctem frequentius mingendi nisu solum vexatam esse contendit. Pruritus tamen vehementior in regione partium genitalium accedit, cuius rei causa fluori albo miti, qui hinc inde parcius apparet, non adscribenda esse videtur. Mense Iulio 1849 inspectione locali repetita pseudoplasma tamen tertia vice repullulatum esse inveniebatur. Partem anteriorem lateris urethrae superioris, quae hucusque libera fuerat, pisi ambitu nunc infestabat. Aegrota, priorum operationum cruciatibus non deterrita, eandem denuo implorat, ut continuo mingendi nisu tam doloroso liberaretur, quum remedia pharmaceutica nil fere iuvarent. Cui igitur desiderio proximo tempore obtemperandum erit.

### Casus tertius.

Susanna Reich, Confluentina, 27 annos nata, usque ad nuptias optima se valetudine gavisam esse narrat. Post eas mox gravidam se factam et intra graviditatem per coniugem syphilitide infectam esse; ulcera syphilitica vulvae et fluorem album malignum adfuisse; et praescripta esse externe balnea sedilia, iniectiones, interne ab initio magnesiam sulphuricam, postea varia praeparata mercurialia, quorum usus tamen minime apta est iudicanda, quum aegrota ad opera domestica perficienda lectum tenere non posset. Medicus nullam curam, dum hae essent conditiones, usui fore existimans, nulla iam remedia interna praescripsit, sed nihil aliud agebat quam ut

diaetam accommodatam, munditiam etc. commendaret. Brevi tamen postea vehementes in lotio mittendo dolores exorti sunt, quibus mulier per noctem octies vel decies vesicam exonerare cogebatur. Quo tandem mota, suadente medico, in clinicum nostrum chirurgicum se recipiendam curavit. Ubi advenit (die 3. m. April. 1848), adspectum constitutionis nervosae, valde debilitatae prae se ferebat; fluor albus acris continuo eam vexabat. Acerbi erant in lotio mittendo dolores magnusque stimulus. Exploratione facta, pseudoplasma apparuit circum orificium et parietem anteriorem superiorem urethrae, magnitudine maioris fabae, tactu maxime dolens. Postquam bis aegrota decoctum Zittmanni sine Hydrargyro chlorat. et sine Cinnab. sumpserat simulque balneis sedilibus usa erat, fluor albus acris evanuit. Die 27. m. April. corpus polyposum ab Ill. Wutzer exstirpatum est modo in antecedentibus casibus memorato et ferrum candens deinde ad vulnus applicatum est. Dolores, qui post operationem admodum aucti erant, aliquot diebus post cessaverunt et, quum phaenomena illa morbosa omnino evanuissent, mulier domum rediit die 13. m. Maii. Non multo tamen postea, die iam 25. eiusd. mens., reversa idem quod antea malum querebatur; brevi tempore vires eius tantopere diminutae erant et exhaustae, ut decoctis Chinae eas refici opus esset. Novum pseudoplasma eo loco erat exortum, quo prius illud urethrae inhaeserat. Die 5. m. Iunii operatio ab Ill. Wutzer facta est: urethra paululum incisa polypus exstirpatus est et vulnus lapide infernali attrectatum. Die 29. m. Iun. omnibus dolorosis morbosisque phaenomenis libera domum dimissa est.

### Casus quartus.

*Gr.*, vidua Coloniensis, 52 annos nata, corpore satis robusto, die 6 mens. Iunii 1849, trahentes in utraque mamma dolores questa, ut explorationem Ill. Wutzer instituerct, desideravit. Nullum tamen hic vitium deprehensum

est. Quum compertum haberet, fieri posse, ut malum cum cessantibus mensibus cohaereret, a superiore anno etiam inter mittendum lotium acerbissimis sese doloribus cruciatam fuisse professa est. Qua de causa Ill. Merrem sen., medicus Coloniensis, habita inquisitione, polypum urethrae inveniens, cauterium potentiale istic adhibendum proposuit: quod iterum ac saepius factum, intolerabiles quidem dolores ei incussit, tandem tamen effecit, ut malum cessaret. Matrimonio pridem iuncta nullos infantes pepererat: menses adhuc fluebant. Malum urethrae nuper rediisse profitetur. Ill. Wutzer polypum parvulum ex orificio urethrae propendentem invenit maxime sensibilem, obscure rubrum, elasticum, magnitudinem pisi maioris ostendentem, vixque levem extremi digiti contactum perferentem. Aegrotae cura diaetetica morbo conveniens, insuper serum lactis per mensem integrum potandum commendatum est. Hucusque non rediit.

Quas historias quatuor quum hisce pagellis communicaverim, id propterea faciendum esse censui, quod de diagnosi, aetiologia et prognosi pseudoplasmatum illorum in urethra degentium pauca adhuc certa cognita sint, neque minus quod literatorum medicorum animos nuper satis quidem in se converterint, nihilominus miserrima adhuc sit feminarum isto morbo vexatarum conditio. Huc accedit, quod Desault maxime dubitare novimus, num eiusmodi existant pseudoplasmata: id quod tamen eo magis demirandum est, quum Astruc iam et Alghisi ea observasse videantur, quorum ille corpus, quo urethra cingitur, suppuratum et fistulosum intra hanc hiare, et pus effundere non semel vidit, alias vero ab eodem corpore tumido et calloso urethram praeter modum arctari; Alghisi autem virginem memorat, cui tenuis medicata candela ad *carnositatem* urethrae absumendam intra hanc relicta, vesicam subierat *). Quibus

*) Conf. Morgagni de sedibus et causis morborum epist.

praeterea adnumerandus est casus ille a Müller *) descriptus, qui auctor quidem pseudoplasma in urethra feminea obvium e vesica quidem originem traxisse contendit; certo tamen ex urethra illud profectum esse colligi licet, primum quum medicus, anteriore parte praeligata, additis remediis internis atque externis, malum sustulerit, id quod minime contigisset, si vesica ipsa veram eius sedem obtulisset; neque enim e sede tam longe remota per angustum urethrae canalem foris exiret tumor, aut modo supra memorato deleri potuisset, quippe cuius extensioni cavum vesicae satis spatiosum commodius se obtulisset. Quibus ex causis, quae equidem de pseudoplasmatis illius sede suspicatus sum, satis mihi comprobasse videor. Morgagni **) quoque iam casum commemorat, ubi parvulam excrescentiam triangularem intra urethrae exterius osculum invenit, quum a. 1751 vetulae cadaver perscrutaretur. Fere soli tamen medici gallici fuere, qui novissimis temporibus id genus morbi saepius observarunt, Velpeau, Guersant, Tanchou; huiusmodi affectionem nihilosecius non ad frequentiores esse referendam, vel eo intelligitur, quod Tanchou suis casibus verba *„de quelques affections peu connues des organes sexuels de la femme“* praeposuit. Quod vero attinet ad huius morbi causam, minime dubium est, quin menses cessantes quidpiam ad procreandum eum valeant, quum plurimas mulierum per annos quos dicimus criticos malo correptas invenerimus. Ubi tamen feminae iuniores, veluti in casu nostro III., eodem morbo vexantur, plerumque puto demonstrari posse, antea aliquando affectionem veneream, sive usum partium genitalium perversum adfuisse, etiamsi haec sententia auctori Tanchou parum arridere videatur. De natura deinde huius pseudoplasmatis, quamquam microscopium a nobis in usum vocatum nihil nobis monstravit, unde maior huic rei lux afferri queat, certo tamen colligi licet, pseudo-

*) Ephemerides naturae curiosorum. Cant. VIII. obs. 38.
**) l. c.

plasma esse malignum, quum neutiquam aeque ac simplices polypi post excisionem accurate factam evanescat, nunquam non potius reventurum. Cum carcinomate confundi quidem nequit; malignitate tamen quam proxime ad hoc accedit. Ex iteratis recidivis in dubium certe est vocandum, pseudoplasma illud nihil aliud esse, quam simplices emollitiones sive relaxationes membranae mucosae urethrae, ut nonnulli quidem opinati sunt. Quod denique attinet ad eius sedem in orificio urethrae, in cuius viciniis malum situm esse reperimus, vix certi quidquam proferri potest. Forsitam ex eo explicari licet, quod in partibus illis per annos criticos saepe pruritus maxime intolerabilis est, quocum simul ortum ducunt parvae in genitalibus excrescentiae a nonnullis medicis observatae. Itaque quum mulieres levamen sibi parare cogantur iterum iterumque fricando, simulque lotium transiens continuum sit irritamentum, ponere licebit, excrescentias tali modo ortas prope urethram his rebus augeri atque malum in eo ipso loco quasi contrahi. Iam vero quid de recidivis huius mali sentiendum sit, hac re niti videtur, quod in partibus illis, ad quas antea semel nisus morbosus tendebat, et ubi irritamenta lotii, pruritus, coitus etc. eum alebant, malum facillime redire potest, praecipue quum causa universalis, catamenia cessantia, non sublata sit; atque casus illi recidivi eo gravius sunt dolendi, quod hucusque experientia docuit, neque remediis interne externeque adhibitis neque operatione cruenta ipsa mulieri, cuius valetudo et felicitas morbo prorsus destruuntur, auxilium certum pro reliquo vitae tempore dari posse, atque, si quid auxilii praebere queamus, levamen esse, non sanationem perfectam.

# CURRICULUM VITAE.

Natus sum Iohannes Eduardus Weber Bonnae die 20. mens. Ianuarii 1828 parentibus Mauro Ignatio Weber Professore in hac Universitate publico ordinario et Iosephina von Podewils, utroque gratia divina etiam nunc sospite; profiteor fidem evangelicam. Primis elementis a Vogelio, ludi magistro Bonnensi, imbutus, usque ad secundam classem gymnasium Bonnense frequentavi; postquam inde per annos duos et dimidium institutione privata usus sum, autumno a. 1844 ab Ill. Plücker, t. t. Rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus, apud Ill. Bergemann, philosophorum ordinis t. t. Decanum spectatissimum, nomen dedi. Anno dimidio post in gymnasio, quod Hamonae auspiciis Ill. Kapp floret, testimonio maturitatis munitus, Bonnae ab Ill. Naumann t. t. Decano spectatissimo Gratiosi Medicorum Ordinis artis medicae studiosis adscriptus, per novem exinde semestria lectiones theoreticas et exercitationes practicas frequentavi.

Scholae quibus interfui sunt hae:

Iuvenalis Satirae, Demosthenis orationes Olynthiacae apud Ill. Schopen; Taciti Agricola apud Ill. Ritter; disputationes et colloquia Francogallico ore, Voltairii Mohamet apud Ill. Nadaud; historia recentioris aevi, historia litterarum elegantiorum apud Germanos apud Ill. Loebell; historia artium generalis apud Ill. Urlichs; logica apud Ill. Brandis; psychologia, historia philosophiae universalis a Thalete usque ad Kantium apud Ill. van Kalker; physice experimentalis apud Ill. Plücker et v. Feilitzsch; zoologia apud Ill. Goldfuss; mineralogia apud Ill. Noeggerath; botanice apud Ill. Treviranum; chemia experimentalis, phytochemia et zoochemia apud Ill. Bischof.

Encyclopaedia et methodologia artis medicinae, pathologia generalis et semiotice, pathologia et therapia specialis, therapia generalis apud Ill. Naumann; medicina forensis et politica, diaetetice et hygieine apud Ill. Harless; materia medica, formulare apud Ill. Albers; anatomia generalis et specialis, anatomia comparativa, apud Ill. Mayer et apud patrem; demonstrationes praeparatorum musei anatomici apud Ill. Mayer; osteologia, anatomia generalis, anatomia pathologica, repetitorium anatomiae, physiologia apud patrem; anthropologia, pathologia et therapia specialis, morbi animi apud Ill. Nasse; anatomia chirurgica, chirurgia universalis, doctrina de operationibus chirurgicis apud Ill. Wutzer; ars obstetricia universalis apud Ill. Kilian; doctrina de usu ignis in chirurgia, de strabismo apud Ill. Hoppe.

In exercitationibus practicis duces mihi fuere viri Ill. Ill.: in exercitationibus chemicis practicis Ill. Bergemann; in arte cadavera secandi Ill. Mayer et pater; in exercitationibus physiologicis practicis Ill. Mayer, Budge et pater; in clinico propaedeutico et therapeutico Ill. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Wutzer; in exercitationibus ad phantoma obstetricium, in clinico obstetricio Ill. Kilian; in operationibus in cadaveribus humanis instituendis Ill. Wutzer et pater.

Intra hoc temporis spatium inde a semestri hiemali a. 1845 usque ad semestr. hiemal. a. 1848 munere assistentis anatomiae functus sum. Ex eo inde tempore fungor munere assistentis in clinico chirurgico secundarii, ubi Director Ill. Wutzer semper summa me cum liberalitate et comitate excepit ac mihi, quibuscunque rebus fieri potuit, commodare solitus est. Nec tamen hic ingrato animo praeterire licet commercium fructuosum et familiare, quo per hunc annum in clinico me coniunctum esse gaudeo cum clar. Dr. Schaeffer, viro semper mihi summeque colendo. — Quibus viris omnibus, doctissimis et illustrissimis gratias quam maximas ago, eorumque memoriam, quamdiu vivam, pio gratoque animo colam.

# Theses.

1. *Cura symptomatica prorsus reiicienda.*
2. *Illa conditio, quae vulgo congestio vocatur, et ex refluxu sanguinis impedito et ex affluxu adaucto originem ducere potest.*
3. *Methodus Illustrissimi Wutzer hernias inguinales externas invaginatorio curandi est praestantissima.*
4. *Acutenaculum Wutzeri omnium optimum est.*
5. *Nulladum certa est diagnosis pseudoplasmatis maligni ante exortam exulcerationem.*
6. *Amputatio sectione circulari instituenda, in crure et antibrachio amputando, prorsus reiicienda mihi videtur.*
7. *Chloroformum et Aether sulphuricus nunquam in infante sunt adhibenda.*
8. *Mors, inhalationes Chloroformi vel Aetheris sulphurici sequens, efficitur substantia nervorum mutata.*
9. *Exploratio externa ad cognoscendam graviditatem multo magis iuvat quam interna.*
10. *Situs uteri a forma pelvis pendet.*
11. *In maribus una tantum, in feminis plures pelvis formae normales.*
12. *Spina nasalis ossis frontis non spina est, sed os nasale tertium.*
13. *In homine ossa intermaxillaria et superiora et inferiora sunt.*
14. *Valvula pylori et valvula Bauhini sola arte effectae sunt.*
15. *Processus frontalis s. nasalis maxillae superioris ex osse nasali et osse lacrimali constat.*
16. *Musculi per se nullos habent nervos sensitivos, itaque nullum etiam sensum.*